


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Ll
20
327.5



Sl 20.327.5



Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.)

Received 28 Feb., 1899.

QUAESTIONES LUCRETIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

SCRIPSIT

JULIUS JESSEN


M. MART. A. 1868.

GOTTINGAE,

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.

MDCCCLXVIII.

Sl 20.327.5



Constantius fund.

Non parvum in philosophia progressum sophistae fecerunt, quod res non per se, sed ad nos relatas spectaverunt, quodque utrum cognoscere res possemus necne quaesiverunt ac de fontibus et fide cognitionis exposuerunt, quum antiquiores philosophi omnibus rebus posthabitis explorare studerent, unde omnia orerentur. Sed magis eximia laus iam antiquitus tribuitur Socrati, quippe qui philosophiam, rerum penitus abstrusarum indagatricem, devocarit e coelo et in urbibus collocarit.

Quod philosophandi genus in rerum contemplatione positum philosophi qui post Aristotelem erant, ita neglexerunt, ut totos se in optimo vitae statu exquirendo collocarent. Quin eo processit Epicurus, ut physica ideo diceret tractanda esse, ut homines fabulis, quibus terrerentur, mortisque metu liberati tranquillam vitam degere possent, id quod a Lucretio, qui physica inprimis illustravit, saepius dictum est.

Nec tamen, quod vulgo fertur, credemus philosophos, qui rerum naturam investigabant, disciplinam, quae de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerit, prorsus neglexisse. Quod quum per se credibile est, tum de Heraclito et Democrito certis quibusdam argumentis demonstrari potest; quod quidem ex fragmentis Heracliti, quae admodum pauca temporum invidia nobis concessit, non elucet. Sed quod Heraclitum actus hominum omnes flevisse ferunt (Schol. ad Juven. Sat. X, 28), quid aliud indicat quam tristem eius de humana conditione sententiam;

qua ex re intelligi potest, Stoici cur Heraclitum potissimum secuti sint. Democriti vero philosophiam describi nemo infitiabitur, qui relatum leget eum numquam sine risu in publico fuisse. Ridet autem *anima,* ut ita dicam tum fere, quum sui compos se ipsa rerum dominam sentit et sibi res, non se rebus subiungit. Quodsi verum est, iam videmus prorsus consentire hanc disciplinam cum Epicuro, quem nihil fere novi attulisse multis argumentis demonstrari potest.

Ac primum quidem Democritum in rebus physicis enodandis non substitisse satis patet ex indice librorum, quos Democritus multos conscripsit, a Diogene Laertio 9, 47 nobis tradito, quo in numero librorum de musica, de poesi, de aliis rebus compositorum, numerantur etiam de affectu sapientis, de sedatione animi libri. Accedit quod Diog. Laert. 10, 2 testatum reliquit, Epicurum legendis Democriti libris ad philosophiam impulsum esse. Vix autem credi potest Epicurum physicis quos spernebat libris ita inflammatum esse, ut ad philosophiam se converteret. Singula quoque multa, quae de Democriti philosophia tradita sunt, satis demonstrant summam rationis Epicureae iam Democriti placitis contineri. Hic enim praecepit, ut libidines continentia et moderatione domitas haberemus, nimirum, ne animi tranquillitas earum procellis everteretur. Quid? quod is primus praeter Graecorum morem docuit animum et a publicis et a privatis rebus abducendum esse, ut tranquillam vitam degere possemus, id quod Epicuri illud *λάϑε βιώσας* nos commonefacit. In physicis vero Epicurum totum ex Democrito pendere constat, etsi in paucis quibusdam rebus, ut in illa de atomis doctrina, ab eo recedit, quae quidem res pueriliter ficta iam antiquitus habita est.

Itaque Aristotelis de Epicuro iudicium, quo hunc negat spectavisse, quo consilio et in quem finem omnia creata essent, plus etiam de Epicuro valet, quippe qui omnia

fortuito orta esse censeat. Ceterum qui negant totum hunc mundum consilio factum esse regique, eos iam antiquitus eadem de universo statuisse, quae nostro quoque tempore in medium prolata sunt, quis est qui miretur. Namque Anaximander hominem ita ortum esse dixit, ut primum piscis formam haberet aquatilisque esset et deinde in siccum transiret hominisque formam sensim acciperet. Ac Darviniana illa ratio et eorum qui hanc secuti sunt qua specierum originem explicant, nonne similis est Lucretii doctrinae, secundum quam homines ex terra provenerunt et, quum casui omnia tribuantur, multa *„animantum saecla“* (Lucr. V, v. 852) utpote non vitalia interierunt? Quam sententiam dubitari non potest quin Lucretius ab antiquiore philosopho, ab Empedocle vel ab ipso Democrito sumserit, quem etiam in aliis rebus secutus est, quae obiter rem secum reputanti eius propriae videri possint. Lucretius enim quae docet exemplis imaginibusque illustrare solet agentibus et insignitis, ita II, 114 moventes atomos comparat cum corpusculis, quae in solis radiis per fenestram incidentibus errantia conspicimus. Accuratius vero qui rem secum reputaverint intellegent iam Democritum eadem comparatione usum esse, id quod nemo interpres hucusque animadvertit. Arist. de anima 404 a.

Quod vero Lucretius rem aptissimis exemplis ante oculos ponere solet, id laudi ei a Goethio (cf. Goethe, Riemer's Mittheilungen über Goethe 2 pg. 644 ff.) vertitur, qui poetam eo sibi sempiternam memoriam comparavisse existimat, quod res, quae quotidie fieri solent, ante oculos quasi gerantur nobis ponere, eoque orationi nervos addere potuerit. Vividam igitur quandam Goethius ei tribuit cogitationem, quae in illustrandis rebus circumspiciat et paria similiaque ad rem quam tractat probandam adhibeat. Et sunt profecto in libris poetae tam agentes et distinctae imagines,

ut rerum naturam diligentissime observavisse videatur, velut solis orientis descriptio II, 144 cf. 352 ff.

Quae vero de poetae ingenio vitaque tradita habemus, tam incerta et fabellis similia sunt, ut certi nihil inde effici posse videatur, ita, ut ad indolem eius perspiciendam ad libros poetae ipsos confugiendum nobis sit. Quis enim in Lucretii carmine legendo mediocriter quidem versatus non mirabitur, quod Hieronymus memoriae tradidit, eius autorem sanae mentis non fuisse, quum totum spiret priscam illam Romanorum gravitatem, neque ulla inveniri possint vestigia, quae carmina „per intervalla insaniae" scripta esse demonstrent. Munroius quidem in commentt. ad Lucret. p. 131 ea, quae de poëta memoriae prodidit Hieronymus, aliquomodo confirmari putat, quod Lucretius tam saepe et tam graviter disputet de rebus, quae nobis somno sepultis mentes terrificent, I, 132:

Cernere uti videamur eos audireque coram
Morte obita quorum tellus amplectitur ossa;

et IV, 33:

Terrificant (simulacra) in somnis cum saepe figuras
Contuimur miras simulacraque luce carentum;

V, 62:

Sed simulacra solere in somnis fallere mentem
Cernere quum videamur eum, quem vita reliquit;

cf. IV, 731.

Sed ex his nihil effici potest, quod Lucretium insaniae obnoxium fuisse indicet. Quum enim Epicureorum tota de physicis doctrina id solum spectaverit, ut rerum natura cognita homines a timore liberarentur, somnia autem inprimis essent, quae hominum animos terrerent vanaque superstitione implerent, id sibi Lucretius agendum proposuit, ut illorum vanitatem explanaret.

Quae quum ita sint, Sellarius (The Roman Poets of the Republic Edinburgh 1863) ea, quae de Lucretii insania

refert Hieronymus, quomodo orta sint explicare conatur. Proficiscitur enim inde (l. c. p. 201), quod, qui deos esse negent et sacra cunctis hominibus communia spernant, arcano quodam et mystico, ut ita dicam, horrore et aequales et posteros afficiant. Sed haec magis ex medii aevi ingenio et more disputata sunt. Quod ipse sensisse videtur Sellarius quum dicat l. c. p. 201: a doom so mysterious and calamitous as that of madness and suicide might well appear to the minds of *Christians* in the third or fourth centuries to be the fitting consequence of what seemed to them a daring impiety and unbelief. — Ac tamen omnino dubitari nequit, quin illa, quae de vita Lucretii nobis tradidit Hieronymus, iam Suetonii temporibus in vulgus nota et credita fuerint. Nam ex Suetonii de viris illustribus libris omnia fere, quae Hieronymus Eusebii Chron. addidit, fluxisse ab Ritschelio denuo satis demonstratum est cf. Reifferscheid Suetonii Reliquiae. Praeterea quod dicit Hieronymus Lucretium amatorio poculo in furorem versum esse, id ita ad veterum cogitandi rationem comparatum est, ut vix ab homine quodam Christiano fictum esse videatur. Ac tamen Hieronymi vel Suetonii verba vix credibilia sunt; quomodo autem orta sint quae de insania Lucretii vulgo ferebantur, vereor ut umquam erui possit. Tam contemptim egit Lucretius de amore, tanta ironia, ut ita dicam, totum inde a v. 1032—1282 libri quarti illum de amore locum pertractavit, ut Veneris numen quam maxime sprevisse videatur. Vulgatam autem fuisse apud veteres opinionem, qui nimis amorem vitarent, eos ipso amore perire Hippolyti fabula satis demonstratur. Ita haud scio an factum sit, ut aliquis fingeret Lucretium qui de fugiendo amore tam salubria praecepta daret, quum amorem vitaret, amatorio poculo perisse. Philtra autem ex opinione veterum fere hanc vim habuisse, ut homines ad insaniam adigerent satis docet Juvenal. Sat. VI v. 610: vendit Philtra

quibus valeat mentem vexare mariti, Inde animi caligo et magna oblivio rerum, quas modo gessisti. Tamen hoc tolerabile si non Et furere incipias ut avunculus ille Neronis etc. cf. Plaut. Amphitr. IV, 3, 10.

Ac de vita poetae haec exposuisse sufficiat: poemata vero ab ipso auctore absoluta et limata non esse cuivis qua par est diligentia legenti patet. Praeterea id testatum reliquit Hieronymus in Chronico qui Lucretium aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisse dicit, „quos postea Cicero emendavit.“ Uter autem Ciceronum carmina in lucem prodiderit, homines docti non consentiunt. Bernhardyus (Röm. Litteraturgesch. p. 510 not. 398) aliique ex literis mense Februario anni 700 ad Quintum fratrem datis satis demonstrari putant, Quintum Ciceronem, hominem studiis poeticis deditum neque a philosophia alienum, Lucretii carmina emendasse. Equidem etsi de Quinto Cicerone Lucretii carminum emendatore concedo, tamen ex verbis: *ut scribis*, nihil certi effici posse puto. Quid enim rem ita apud animum informare nos impedit, Quintum Ciceronem comperisse, fratrem in Lucretii poematis emendandis versari, ac deinde suum de Lucretio iudicium cum fratre communicasse, cui Marcus (epist. ad Quint. fratr. 2, 11) assentitur? Munroius, qui Marcum Ciceronem Lucretii editorem esse evincere studet, ipsis Hieronymi verbis potissimum nititur, quem M. Ciceronem l. c. dicere vix negari potest. De Quinto enim carminum Lucretii emendatore rem ita in vulgus notam fuisse, ut nihil opus esset, ut Hieronymus Ciceronis praenomen poneret, equidem Lachmanno non crediderim. Attulit praeterea Munroius locum, quo suam de Lucretii editore sententiam confirmaret, e Plinii epistol. III, 5: Petis ut libellos tuos in secessu legam, examinemque an editione sint digni, adhibes preces, adlegas exemplum: rogas etiam, ut aliquid subsecivi temporis studiis meis sub-

traham, impertiam tuis: adicis M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia fovisse.

Quae quum ita sint, mihi tamen credibile non videtur M. Ciceronem, si emendator Lucretii fuisset, nullam Lucretii mentionem fecisse, praesertim qui Amafinium et Rabirium Epicureos, quorum alter et ipse libros de rerum natura conscripsisset, tam saepe in scriptis suis exagitaret. Quid quod ipse Tusc. Disp. II, 3, 7 dicit: est quoddam genus eorum qui se philosophos appellari volunt (Epicureos dicit) quorum dicuntur esse Latini sane multi libri quos non contemno equidem, quippe quos numquam legerim. Quod etsi ad vivum non est resecandum, tamen vix dici potuit a Cicerone, si Epicureum poema ipse edidisset, praecipue si Munroii sententiam sequimur, qui amicos Lucretii in carmine edendo clarissimi oratoris nomine magis quam opera usos esse dicit. Firmissimum autem ne Marcum in Lucretii poematis *emendandis*, ut dicit Hieronymus, versatum putemus, hoc afferre possum, quod Cicero qui poetarum sententias orationi suae admiscere solet, nullo Lucretii versu usus est, quum tamen multos Lucretii versus si carmen emendavisset, in memoria retinuisse existimandus sit.

Lucretium posterioribus demum temporibus clarum et nobilem fuisse ex hoc maxime elucet, quod Cassius Epicureus, qui in literis a. 708 ad Ciceronem datis (ad fam. 15, 19 cf. 16) suos defendere studet (cf. l. c.: pro quo [Catio Epicureo] tibi proxima epistola tot rusticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum esse dices), quum Amafinium et Catium malos verborum interpretes commemoret, Lucretii qui unus ex omnibus illius disciplinae sectatoribus summam in literis gloriam sibi comparasset, ne mentionem quidem fecit. Haec hoc loco commemorasse sufficiat: sed antequam ad carmina ipsa aggredimur, quibus nominibus atomos, quae plurimum valent in Epicureorum ratione,

poëta notaverit, dicendum erit. Varias quibus usus est Lucretius significationes Munroius collegit ad I, 59, ex quibus saepissime usurpavit primordia vel *rerum* primordia, quorum vicibus in genetivo et dativo et ablativo, ut qui Creticum efficiant, fungitur verbum principii. Verum inter omnes illas significationes neque proprium vocabulum, quod est atomi, neque corpora individua, quibus Cicero usus est, invenies, id quod mirum videri possit. Cuius rei causa videtur in eo sita esse, quod Lucretius corpora prima non tam individua quam cunctarum rerum exordia esse animis lectorum inculcare voluit. Neque enim eum fugit, quantae difficultates orerentur, si quis gravia ideoque extenta corpuscula statueret et tamen dividi posse negaret. Quae corpuscula non sine omni extentione esse possunt veluti puncta mathematicorum propter pondera, quibus Epicurei ad mundum efficiendum carere nequeunt. Quam difficultatem Lucretius satis obscuro loco I, 599 explanare studuit. Recentiore quoque tempore physicorum de atomis ratio, quam Fechnerus (Die Physikalische und Philosophische Atomenlehre Leipz. 1855) in medium denuo protulit defenditque, eisdem ni fallor laborat difficultatibus. Leibnitzio vero Herbartioque, quae de atomis placuerunt, tam diversa sunt, vix ut comparari possint. Sed nobis quid verum quid falsum sit in variis de atomorum natura sententiis, non est disceptandum: carmini ipsi nonnullis locis medelam afferre conamur.

IV, 1122: bene parta patrum Interdum in pallam atque alidensia Ciaque vertunt.

Codicum (Oblongi et Quadrati) scripturam: alidensia, quum nemodum, quod sciam, explicaverit, alii alia excogitaverunt, quibus v. 1122 emendarent. Lachmannus leni mutatione scripsit: alideusia. Attulit vocabula Graeca: *ἁλιπόρφυρα*, *ἁλίβαπτα*, *ἁλουργῆ*, item *δευσοποιὸν* et *δευσο-*

ποιίαν, quibus *ἀλιδεύσια* sua tinctoribus et delicatulis quam scriptoribus, ut ipse dicit, tritiora, explicaret. Sed quum Lachmanniani inventi: alideusia, ne Graecum quidem exemplum ullum inveniatur, satius visum est Bernaysio in editione sua codicum scripturam: alidensia, exhibere obelisco apposito. Lambinus Gulielmi Pelisserii episcopi Montepessulani coniecturam secutus scripsit: ac Melitensia. Sed ut Lachmanni verbis utar, in Lucretio tantum a literarum ductibus recedere non licet. Munroius, qui alideusia in textum, quem vocant, recepit, haec tantum annotavit: if Lachmann's alideusia is right, the word is not found elsewhere either in Latin or Greek.

Quae quum ita sint aliam nos emendandi viam praeire conamur.

Proficiscimur inde quod Plinius Natur. Hist. l. XIX, 1 habet: Lino, quod ignibus non absumatur, principatus in toto orbe. Proximus byssino *mulierum* maxime *deliciis* circa *Elim* in Achaia genito quaternis denariis scripulâ eius permutata quondam *ut auri* reperio.

Huius Elidis forma Dorica est Alis, qua antiquiores Romanorum scriptores utebantur: Plaut. Captivi Prolog. v. 9 in Alide v. 24 cum Alio v. 26 in Alide. Act. 2, 3, 19 in Alidem Act. 3, 2, 20 ex Alide passim in Captivis cf. Aul. 2, 2, 20 ubi manum inicit benigne ibi onerat aliquam zamiam (*ζημία*). Lucret. VI, v. 1263 silanos ad aquarum.

Formam: Alidensis, quae in lexicis non habetur, legimus apud Plautum Capt. IV, 2, 100 captivum Alidensem et apud Gellium, qui scribendi genus sequitur priscum et antiquum l. 2, 18 init. Phaedon *Elidensis* ex cohorte illa Socratica fuit. Formae, quas dixi, Doricae, Italicorum Dorismo iure ascribuntur, quas Romani et ex mimis Campaniae et ex Hilarotragoediis Tarentinis vel cum ipsis mercibus Graecis in linguam suam receperunt. cf. Bernhardy

Grundr. d. röm. Litteratur. p. 66. Sunt igitur Alidensia byssina, quae tum fere mulieribus (cf. Plin. Nat. Hist. l. c.) in deliciis erant. Ita ne literula quidem mutata locus recte, ut opinor, se habet.

Accedit, quo facilius byssina Alidensia audire possint, quod nusquam in Graecia nisi in Elide byssus illa gignitur. Quod planissime dicit Pausanias 5, 5, 2: *θαυμάσαι δ' ἄν τις ἐν τῇ γῇ Ἠλείᾳ τήν τε βύσσον, ὅτι ἐνταῦθα μόνον, ἑτέρωθι δὲ οὐδαμοῦ τῆς Ἑλλάδος φύεται.*

Cum Sericis componitur byssus Paus. 6, 26, 4: *ἡ δὲ Ἠλεία χώρα τά τε ἄλλα ἐστὶν ἐς καρποὺς καὶ τὴν βύσσον οὐχ ἥκιστα ἐκτρέφειν ἀγαθή. τὴν μὲν δὴ κανναβίδα καὶ λίνον καὶ τὴν βύσσον σπείρουσιν ὅσοις ἡ γῆ τρέφειν ἐστὶν ἐπιτήδειος· οἱ μίτοι δέ, ἀφ' ὧν τὰς ἐσθῆτας ποιοῦσιν οἱ Σῆρες κ. τ. λ.* cf. Strabo p. 693: *τοιαῦτα δὲ καὶ τὰ Σηρικὰ ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου.* E bysso autem facta sunt reticula, vestes etc. Patris. cf. Paus. VII, 21, 7: *αἱ δὲ γυναῖκές εἰσιν ἐν ταῖς Πάτραις ἀριθμὸν μὲν καὶ ἐς δὶς τῶν ἀνδρῶν. Ἀφροδίτης δὲ εἴπερ ἄλλαις γυναιξὶ μέτεστι καὶ ταύταις· βίος δὲ αὐτῶν ταῖς πολλαῖς ἐστιν ἀπὸ τῆς βύσσου τῆς ἐν τῇ Ἠλίδι φυομένης· κεκρυφάλους τε γὰρ ἀπ' αὐτῆς καὶ ἐσθῆτα ὑφαίνουσι τὴν ἄλλην.*

Patris autem quo facilius Alidensia in Italiam pervenisse putemus, E. Curtii verba Peloponnesos I, p. 435 attuli: Patrai ist der natürliche Hafenort und Stapelplatz des westlichen Peloponnesos, es ist ganz dazu geschaffen, die Producte Griechenlands nach den italischen Meeren zu führen. Ceterum tantam nobis commercii et manufacturae (sit venia verbo) industriam Pausanias l. c. nobis describit, ut vix credibile sit, nullum eius vestigium ad nos pervenisse.

Eo autem loco, quem Curtius Pelop. II, 95 ex Ezechielis libro attulit, inprimis est tenendum (cap. 27, 2), non agi de suco infectore, sed de vestimentis purpura tinctis

cf. Hitzig in comm. ad Ezech. p. 199. Ac tamen vix credi potest, Tyrios, qui purpuras habebant longe optimas, eiusmodi vestimenta ex Elisa (vel ex ipsa Elide) *coloris* causa asportasse. Quum autem h. l. byssus Aegyptiaca in parallelismo quem vocant nominetur cum vestibus purpureis et conchyliatis ex Elisa asportatis, verisimile est hoc loco bysso Aegyptiacae Eleam opponi, quae byssi genera inter se comparat Paus. 5, 5, 2: *ἡ δὲ βύσσος ἡ ἐν τῇ Ἠλείᾳ λεπτότητος μὲν ἕνεκα οὐκ ἀποδεῖ τῆς Ἑβραίων, ἔστι δὲ οὐχ ὁμοίως ξανθή.* Byssina enim fere semper ut Coa purpura tingebantur. Quo fortasse factum est, ut Hesychius, Suidas, auctor Etymologici: byssina *πόρφυρα* interpretarentur. Quae si ita sunt, hominum doctorum sententia, qui Elisam Genes. 10, 4 et Ezech. 27, 7 commemoratam Elidem esse putant, hoc argumento confirmari potest.

Sed ut iam ad Alidensia redeamus, magna nobis existit difficultas. Pedum enim lex Alidensia respuere videtur. At primum iam hoc ipsa metri necessitate aliquomodo excusari potest. Nullo enim modo Lucretius creticum: *ālī*densia versu includere potuit. Quare poetae in nominibus propriis tractandis a severa metri lege recedere solent cf. Horat. Od. III, 4, 10 Apuliae, ubi poeta in duobus versibus sese excipientibus eandem syllabam et produxit et corripuit. cf. quae attulerunt Interprett. l. a. Priamus (◡◡◡) et Priamides (—◡◡—), Sicanus (◡—◡, ◡◡◡, —◡◡), Italus (◡◡◡, —◡◡) et Italia (—◡◡◡), Servilius (—◡◡◡ et ——◡◡), Fidenae (———, ◡——), cf. Jahnium ad Horat. Od. 3, 4, 10.

Praeterea id quoque excusare possum, Lucretium, qui Coa notissima ignoraret (cf. Lachmann ad Lucret. p. 269), Alidensium originem perspectum non habuisse verisimillimum esse. Eiusmodi aliquid iis maxime nominibus propriis contigisse, quae in nomina appellativa abierunt, per se intelligitur. Audacius etiam, quippe quod ne metri qui-

dem necessitate defendatur, positum est quod legimus Plaut. Poen. III, 3, 87. Ubi tu Leucadio, Lesbio, Trasio, Cŏo, et Ovid. Trist. III, 12, 2 Longior antiquis visa Maeotis hiems, quod quum ferri posse negaret Lachmannus, satis audacter ita mutavit, (ad Lucret. p. 38):

Longior intepuit visa Tomitis hiems.

Maximum autem cur antiquiores poetas de Graecorum appellativorum quantitate metrica non admodum sollicitos fuisse putemus, afferri videtur versu Lucilii p. 89 v. 58 ed. Gerlach:

Rhōdus Carpathium in pelagus se inclinat apertum

et v. 59:

Carpathium mare transvectus coenabis Rhōdi.

Accedit quod Lucretius, qui summa arte versatur in versibus faciendis, in singulis tamen multa sibi indulsit. Saepius fit, ut sibi non constans idem vocabulum et corripiat et producat, prout versus postulat: II, 452 flŭvido, v. 464 flūvida, v. 466 flūvidus. I, 349; II, 452; III, 427 līquidus (litera i producta) at VI, 205 lĭquida et quod maximum est IV, 1251 crassaque conveniunt lĭquidis et līquida crassis. Substantivo, quod est liquor, semper i litera correpta utitur: I, 713, 771, 864. 938, 1084; II, 390, 398, 847; III, 13, 438, 440, 870; V, 14, 391. Ac tamen unum exstat exemplum, quo liquor prima producta dictum est: I, 453 līquor aquai, ita, ut Lucretius nullam, ut videtur, regulam hac in re secutus sit. Dignum fortasse est, quod notetur, locum hunc singularem omnino primum totius carminis esse, quo Lucretius hac voce utitur. Maxima autem rei metricae incuria habetur II, 991: Denique coelesti sumus omnes semine oriundi, ubi i vocalis ita delitescit, ut syllabam non producat. Etiam I, 360: nam si tantumdemst in lanae glōmere quantum, Lucretium metro aliquid tribuisse puto. Nam non solum Lucretius semper dicit: glŏmerata, glŏmeramen, conglŏmerare (cf. Lucret. II,

454, 686; III, 210, 495, 539; IV, 868; V, 724), sed etiam Ennius (Tragoedd. Reliq. v. 408 ed. Vahlen) conglŏmeras, et Horatius Epist. I, 13, 14 glŏmus, quibus locis a Lachmanno p. 36 allatis addo Stat. Theb. I, 351 inglomerare.

Praeterea id ipsum, quo Lachmannus illud glōmus aliquo modo defendere studet, quam maxime nobiscum facit; dicit enim ad Lucret. p. 36: constat in lingua latina vulgaria quaedam vocabula vel nomina et partim vetustate obscurata habere mensuram aut ambiguam aut ab origine sua diversam.

Simile quoddam atque Alidensibus factum est Scaptensulae (syllaba u correpta) Lucret. VI, 810. Romani enim, qui originationem oppidi non satis perspectam haberent, vel milites, ut Lachmanno videtur, parvo oppido formam deminutivam convenire rati paenultimam corripuerunt.

Restat ut de altera huius loci voce corrupta „*Chia*" dicamus quam ut emendaret Lachmannus, Gulielmi Pellisserii coniecturam secutus, scripsit: Cea vel potius: Cia, nisi me fallit, ut propius accederet ad vestigia codicum. Ceae vestis non fieri mentionem apud veteres excepto Plinio, sed Coae tantum Salmasius in exercitationibus p. 101 docuit. Lachmannus igitur Varronem Coa ab insula Ceo venire opinatum huius erroris facit auctorem, quem temere, ut ipse dicit, secutus est et Plinius et Lucretius. Quod quidem de Plinio aetate Varronis et auctoritate decepto concedi potest, non potest de Lucretio in literis Graecis magnopere versato. Talis enim error ita tantum oriri potuit, si vestimenta illa admodum ignota erant: at vestimenta hominibus aetatis suae fere ignota Lucretius vix pro exemplis habere potuit, quibus homines bona patria lacerare solerent. Praeterea vix verisimile est, Lucretium vocabula et exempla, quibus luxuriam sui temporis notare vellet, e scriptis potius quam ex ipsa vita et sermone quotidiano

sumpsisse. Quae quum ita sint, aut homines Lucretii temporibus vulgo Coa per errorem Cea nominasse dicamus necesse est aut Cia in Coa mutanda sunt.

Ac correptio vocabuli Alidensia, de qua mihi quidem dubitari videtur non posse, si minus placebit, tradita lectio ita explicanda erit. Habet enim Critias apud Athen. I, 28 B. ubi: *τὰ ἐξ ἑκάστης πόλεως ἰδιώματα καταλέγει*, haec:

εὐναῖον δὲ λέχους ἔξοχα κάλλος ἔχει
Μίλητός τε Χίος τ', ἔναλος πόλις Οἰνοπίωνος

ubi Schneidewin Delect. frgm. 1, 5 in annotationibus: celebratissima *στρώματα*, *ἔρια Μιλήσια*, attulit Theocr. 15, 125 et Virg. Georg. III, 306.

Lachmannus Milesia reiecit, quod nisi a t q u e in a c mutato includi versu non possent; quae mutatio non ita difficilis est si: atque per compendium scriptum fuisse putamus. Literae AL saepius in M mutata sunt, velut I, 665: mia pro alia, et fortasse Milensia scribendum est, ut: vensicula VI, 130, Scaptensula VI, 810; cf. Megalensia, thensaurus, alia. Itaque (si quidem Alidensia reicienda sunt) fortasse scribendum est:

Interdum in pallam ac Milensia Chiaque vertunt.

Sed vereor, ut Schneidewinus, qui, ut quidem videri potest sicut Milesia etiam Chia genus quoddam vestium esse putavit, illum Critiae locum recte interpretatus sit. Casu enim accidit, ut Critias ipse ad carmina sua explicanda aliquid conferret. Habet enim Athenaeus XI, 486 e: *Κριτίας ἐν τῇ Λακεδαιμονίων πολιτείᾳ. Κλίνη Μιλησιουργὴς καὶ δίφρος Μιλησιουργής, Κλίνη Χιουργὴς καὶ τράπεζα Ῥηνειουργής.* Puto Critiam, ut erat *φιλολάκων*, Lacedaemonios laudibus extulisse, quod eiusmodi instrumenta luxuriae non admitterent. Lectos Milesios Chiosque in pretio fuisse etiam ex inscriptionibus intelligi potest; cf. Pittakes *Ἐφημερὶς ἀρχαιολογική* a. 1854 p. 1163 n. 2239, 1. *ἐπίχρ(υσος ἀ(σπ)ίδες ἐπίχρυσοι ὑπόξυλοι ΔΓ κλῖναι Χιουρ-*

γεῖς, κλῖναι Μελησιουργεῖς etc. (est index rerum Minervae consecratarum). cf. Revue Archéologique a. 1845 p. 325 lettre à M. de Saulcy.

Lecti tricliniares loco quem tractamus optime conveniunt, quum versu, qui proxime sequitur (1123), de conviviis, eximia veste et victu instructis, sermo sit.

III, 7: Cycnis, aut quid nam tremulis facere artubus haedi etc.

Quanquam versum legentibus illud *nam* satis superfluum videtur tamen nihil versus offensionis habet. Scripturam vero codicum qui accuratius respiciunt, ei vocabulum, quod est cycnis, in neutro codice invenient, quum Oblongus cycniis, Quadratus satis miram scripturam praebeat: ciniis.

Praeterea non satis aptum videtur, quod poeta, qui aliis locis 4, 181 et 910 suum cantum cum cycno quodam modo comparat, h. l. Epicurum cycnum ne imitari quidem audet. Si igitur illud *nam* quod aliis quoque locis abest, velut V, 23 quid *enim* obesset hiatus ille leonis, denique *quid* Cretae taurus etc. eicimus, versum efficimus huiusmodi:

[Lus]ciniis aut quid tremulis facere artubus haedi.

Tribus literis prioribus deperditis illud *nam* ad versum explendum additum videtur. Quod si verum est, propius abest a vero Quadratus, vestigia tamen veri etiam Oblongus retinuit scriptura: cycniis.

Comparatio autem hirundinis cum lusciniis orta videtur et ex cantus dissimilitudine et ex cognatione e sententia veterum inter utramque avem intercedente; cf. Schol. ad Sophocl. Electr. 147 ff.: *αὐταὶ δὲ* (filiae Pandionis) *μεταβληθεῖσαι εἰς ὄρνεα ἡ μὲν εἰς ἀηδόνα, ἡ δὲ εἰς χελιδόνα . . . . τοῦ ἔαρος δέ ἐστιν ἡ χελιδὼν ἄγγελος καί ἐστι κεκομμένη τὴν γλῶτταν καὶ ψελλίζει.* Praeterea versus,

qui evadit coniectura nostra, quam maxime Lucretianus est propter eundem in caesuris sonum, cf. III, 371.

Democri*ti* quod sancta vi*ri* sententia ponit; et Bouterwekium, qui multa huius usus exempla ex hoc poeta et Ennio petita attulit: Quaestiones Lucret. p. 42, ubi recte dicit: neque sine consilio a poeta institutum esse videtur, ut in ἑφϑημιμερεῖ cum caesura alterius pedis coniuncta utraque arsis in cadendo eundem referat sonum.

Eis quae attulit Bouterwekius exemplis addo I, 111; IV, 973; VI, 378, 1170. Similis extremorum verborum sonitus, quem rimum dicunt, saepius invenitur apud Lucretium in caesura pedis tertii cum clausula versus congruente velut: V, 33 asper acerba tu*ens* immani corpore ser*pens* et II, 274 nam tum materi*em* totius corporis omn*em* etc. Namque omnino negari non potest, antiquos cognitum habuisse, quam vim vocabulorum et versuum clausulae inter se consonantes haberent, quod imprimis dici potest de Lucretio, apud quem saepius leguntur versus duabus syllabis inter se congruentes, velut I, 318. Saepe salut*antum* tactu praeterque me*antum*. cf. W. Grimm zur gesch. d. reims 1851 p. 627 ff.

III, 529: Scinditur atque animo haec quoniam natura nec uno.

Lachmannus p. 173 omnino negat, ut quidem videri potest, poetis licuisse coniunctionem: atque traiicere. Ruddimannus I, p. 324 attulit exemplum traiectionis Horat. Lat. 1, 4, 107, cui addo Epod. 8, 11. Esto beata, funus atque imagines Ducant triumphales tuum Sat. 1, 5, 4. Differtum nautis cauponibus atque malignis.

Sed utut res se habet; atque, traiectum apud Lucretium ferri non potest: scripsit igitur Lachmannus: Scinditur *usque adeo* etc. quae mutatio satis difficilis est; Bernaysius legi vult:

Scinditur aeque animae haec quoniam natura etc.

sed non video, quid sibi velit *haec* quoniam natura; neque magis exputare potui, quam vim habeat vocabulum: hoc, quod Munroius dedit, alia etiam admissa mutatione:

Scinditur itque animae hoc quoniam nat. etc.

Interpretatur, ut quidem videtur, ut sit: in this way. Facillime autem, ut mihi quidem videtur, Bernaysii coniecturam secuti, sic scribemus:

Scinditur aeque animae quoniam natura etc.

Animae natura ut saepius apud Lucretium positum pro simplici *anima*.

Praeterea dignum est quod notetur in fine versus positum: *nec uno*.

Fit enim raro in Lucretii codicibus, ut *nec* ante vocalem ponatur. Quod Lachmannum videtur fugisse, qui ad Lucret. p. 187 dicit: in primo et secundo pede tanta est codicum constantia, ut ne ante vocales quidem scriptum sit: *nec;* id autem (si nec opinans excipimus) novies tantum apud Lucretium factum est. Omnibus *neque* ante vocalem usurpati exemplis, sub uno conspectu positis, iam elucet quam pauca exempla huic regulae refragentur. In libro primo v. 24 neque amabile, 216 neque ad., 266 neque item, 428 neque omnino, 479 neque esse, v. 534 neque item, v. 613 neque avelli, v. 687 neque ulli, v. 690 neque ullam, v. 851 neque ab, v. 857 neque autem, v. 1071 neque omnino.

In libro secundo: v. 87 neque enim, 91 neque habere, 235 neque ullo, 241 neque ictus, 296 neque ad augescit, 305 neque in omne, 427 neque omnino, 570 neque in, 716 neque in se, 796 neque in, 836 neque odorem, 858 neque item, 867 neque id, 912 neque ulla.

III, 23 neque ulla; v. 39 neque ullam, 118 neque harmoniam, 125 neque ex, 252 neque aere, 340 neque ea, 365 neque enim, 383 neque arani, 467 neque exaudit, 550 neque esse, 621 neque in igni, 630 neque aures, 631 neque

esse, 689 neque originis, 720 neque enim, 737 neque enim, 781 neque inter, 787 neque a, 811 neque ab, 814 neque extra, 865 neque hilum, 879 neque enim, 892 neque uxor.

In libro quarto: v. 150 neque uti, 150 neque autem, 173 neque eam, 558 neque illam, 1209 neque utrum.

In libro quinto: v. 133 neque ea, 249 neque umorem, 310 neque adversus, 315 neque enim, 328 neque usquam, 358 neque ab, 361 neque extra, 364 neque uti, 493 neque enim, 774 neque opinantes, 888 neque esse, 932 neque altis, 950 neque uti, 955 neque ulli, 1051 neque enim, 1117 neque enim, 1131 neque erit, 1407 neque hilo, 1420 neque in.

In libro sexto: v. 103 neque autem, 221 neque imbres, 263 neque enim, 641 neque enim, 708 neque eum, 709 neque a, 779 neque autem.

Loci autem, qui usui, quem dixi repugnant, hi sunt: I, 263 nec ullam, II, 110 nec usquam, III, 529 nec uno, 559 nec autem, IV, 355 nec ad, V, 836 nec utrum, 868 nec ipsa, 1199 nec aras, VI, 1018 nec ipsa.

Quae exceptiones regulae nostrae pro frequentia huius coniunctionis admodum paucae, fortasse *nec* in neque ll. cc. mutato, tollendae sunt. Brevior forma saepe a librariis alteri praelata est. Conveniebat enim, ut Wagneri (Quaest. Vergil. XXXII) verbis utar, brevior forma multorum librariorum festinantiae nihil scilicet inter has formas interesse existimantium. Vergilium quoque *neque* ante vocales positum praetulisse Wagnerus Quaest. Verg. XXXII observavit.

Differentia autem sensus, quam vulgo statuunt, apud Lucretium non est, quum codices Leidenses, inter se quidem quam maxime constantes, tamen in adhibendis formis *nec* et *neque* tam mire varient, ut ne quaeri quidem

possit, utrum poeta quibus condicionibus praetulerit, cf. Lachm. ad Lucret. p. 187.

Poetas, qui post Augusti tempora florebant, *neque* studiosius vitasse Lucianus Müllerus de Re Metr. Poet. Lat. praet. Plaut. et Terent. l. p. 397, docuit exemplis ex Lucano, Martiale, Claudiano allatis omnibus.

Neque hi si quidem usi sunt coniunctione *neque* sensum respexisse potius quam metricas quasdam leges videntur, aut enim ante vocalem aut in thesi pedis primi *neque* adhibuerunt.

Apud Lucanum ante vocalem his locis: I, 53 (ed. Korte) Sed neque in, II, 539 neque enim, III, 50 neque enim, 128 neque enim, 389 neque ipso, IV, 255 neque enim, 417 neque enim, 452 neque illa, 762 neque enim, 772 neque enim, VII, 119 neque enim, 739 neque enim, VIII, 75 neque arma. In thesi primi pedis I, 286 Nunc neque te, II, 283 Nunc neque Pompeji.

Apud Martialem aut metri respectu habito aut ante vocalem: I, 64, 4 (ed. Schneidew.) Nec dives neque bella nec puella es, 92, 11 neque enim; III, 16, 3 neque enim; VI, 19, 1 non de vi neque caede nec veneno; VII, 51, 11 neque enim; VIII, 40 1 non horti neque palmitis beati; XI, 58, 7 neque enim; XII, 24, 7. XIV, 94, 2 Nostra neque ardenti.

Apud Claudianum *neque* octiens deciens aut in thesi primi pedis versus heroici aut in: neque enim, legitur I, 11 (ed. Gesner.) His *neque* per dubium pendet Fortuna favorem, 85 Nam *neque* caesariem crinali stringere cultu, 218 Quam *neque* fas Zephyris frangi, nec sole perustam; III, 294 Hoc *neque* Geryones triplex, nec turbidus orci; X, 52 Hunc *neque* canentes audent vestire pruinae; XXI, 92 Cui *neque* luxuries bello nec blanda periclis, 100 tu *neque* vesano raptas venalia curru; XXII, 67 ut *neque* desidiae tradas dum pronus ad omne; XXVI, 634 quos *neque*

semiferi Gortynia tecta iuvenci; XXIX, 6 quos *neque* frigoribus Boreas, nec Sirius urit; XXXIV, 33 te *neque* Dictaeas quatiens mugitibus urbes; XXXV, 241 Jam *neque* Partheniis innectere retia; XLIV, 23 Hic *neque* concepto fetu, nec semine surgit. *Neque enim* habetur: V, 7 neque enim; XVIII, 63 neque enim; XXII, 148 neque enim; XXVI, 614 neque enim; XLIX, 9 neque enim.

Lachmannus regulam de hoc coniunctionis *neque* usu constanti etiam pertinere vult ad secundum versus heroici pedem, quare v. 853 libri tertii recte, ut opinor, restituit: Qui fuimus *neque* iam etc. Regulae, quam ibi constituit, praeter IV, 357, quem ipse attulit, repugnat etiam III, 389 Sentimus, *nec* priva pedum etc., ubi secundum regulam Lachmannianam: Sentimus neque priva etc.

Similis fere apud Lucretium ratio est vocabuli *donec,* cuius forma: *donique* ante vocales tantum usurpatur: II, 1116 donique ad; V, 706 donique eum, 723 donique eam, 995 donique eos. cf. Lucr. II, 1130 donique alescendi Lachm. p. 140.

V, 154: sedes — nostris sedibus esse
Dissimiles debent tenuest si corpu' deorum
sic audacissima coniectura mutavit Lachmannus traditam in codd. lectionem: tenues de corpore eorum. Itaque recte ut opinor Munroius Lambinum secutus scripsit: tenues pro corpore eorum. Accedit etiam aliud cur Lachmanni coniectura ferri non possit.

Veteres enim ante Lucretium poetae, etsi saepius s nominativi substantivorum tertiae declinationis truncare ausi sunt (velut Varro ap. Nonium p. 379 Non fit thesauris, non auro pectu' solutum. Ennius Annal. 10. Ova parire solet genu' pennis condecoratum), Lucretius tamen hac libertate abstinuit. Neque lapi' cumque viai, quod coniecit Lachm. VI, 550 quid quam habet probabilitatis. Munroius qui dedit: nec minus exultant, scrupus quicumque viai, vidit:

scrupus huic loco inferendum esse. Brevior scriptura (litera s omissa) bis tantum et quidem cum vitio coniuncta in Lucretii codicibus servata est, l. V, 625 posterioribus ignis et VI, 1136 morborum et mortiferae. Lachm. ad Lucret. p. 29. Reliqua omnia apocopes exempla ab editoribus Lucretii vestituta sunt. Exemplorum maximam partem ad quintum heroici versus pedem pertinere observavit Bouterwekius Quaest. Lucrct. p. 18 qui LI ad quintum pedem revocanda esse dicit, quum omnino LXXII ies hoc genere usus sit Lucretius.

Praeterea Lucretium apocopen in syllaba: *bus* praecipue admisisse ex recensione locorum, qui huc pertinent, facile apparebit. *Ibus* enim, si producta syllaba praecedit et vox ab litera consonanti incipiens sequitur, nullo modo versu includi potest. Quintus autem versus heroici pes fere integrum dactylum desiderat. Ex quibus elucet potissimum metri causa Lucretium apocopen sibi concessisse. Loci quibus Lucretius extremam syllabae: *bus* literam truncavit, hi sunt.

I, 158 ex omnibu' rebus, 186 infantibu' parvis, 412 e fontibus magnis, si quidem scriptura recte se habet, nam in Quadrato legitur: amnes, quem secutus Bernaysius scripsit: e fontibus amnis; v. 517 inane in rebu' queat. Lachm. v. 718 in rebu' necessest, codd. in rebus oportet; v. 838 coeuntibu' guttis.

II, 175 omnibu' rebus, 428 prostantibu' quaeque, Lachm. Prostantibu' quique, Munroius prostantibus, unde: Bernaysius; clausula versus deest in codd.; ita, ut quid scribendum sit non liqueat. Itali lacunam addito „et quae" expleverunt; v. 458 si minus omnibu' sunt, pro: omnia, quod est in codicibus, Muretus; v. 462 Venenumst Sensibu' sed rarum, Lachm. pro: quod cumque videmus, sensibus sedatum, locus coniecturis ita vexatus, ut quid scribendum sit, vix inveniri possit. Similis ratio est loci, qui sequitur v.

467 ubi Lachm. est et levibu' sunt. Bernaysius: est, et squalida sunt illis admixta etc. Munroius: ęst et squalida multa creant admixta; v. 930 ex non sensibu' sensus; v. 975 propritim de quibu' factumst (codd. auctumst) et v. 986 non ex videntibu' factus (codd. hic quoque auctus).

III, 52 manibu' divis; v. 617 regionibu' pectoris haeret, coniecturam Lachmanni satis audacem recepit Bern. Munroius pro: regionibus omnibus, quod est in codicibus scribi vult: certis hominis regionibus haeret; v. 734 contagibu' fungitur eius, sic Lachm. codd.: contage.

IV, 80 Munroius: moenibu' pro moenia in textum quem vocant coniectura intulit; v. 464 sensibu' visa; v. 493 coloribu' sint coniuncta videre; v. 822 illud in his vitium vementer rebu' necessest: Lachm. codd.: Illud in his rebus vitium vehementer inesse; lenius Bernaysius: avemus et Munroius: avessis pro inesse scripserunt; v. 859 ex animalibu' quae pro: animalibus quia, Lachmannus, quem secutus est Bernaysius et Munroius; v. 1011 rebu' loquuntur; v. 1015 mentibu' capti; v. 1028 omnibu' rebu' profundunt; v. 1196 summis ex viribu' tendunt.

V, 53 Immortalibu' de divis; v. 456 minoribu' sunt elementis; v. 625 cum posteriobu' signis; v. 821 montibu' passim; v. 822 variantibu' formis; v. 933 falcibu' ramos; v. 1104 rebu' benigni; v. 1162 rebu' locisque; v. 1195 minoribu' nostris.

VI, 29 mortalibu' passim; v. 51 mentibu' saepe; v. 98 pugnantibu' ventis; v. 189 pendentibu' structa; v. 618 ardentibu' solem; v. 890 sitientibu' nautis; v. 944 manantibu' stillant; v. 1139 finibu' morbus.

Cetera apocopes exempla ad alios casus et vocabula pertinent, quorum in libro primo haec sunt:

I, 591 Inmutabili' materiae; v. 978 quominu' quo.

II, 18 menti' fruatur; v. 19 cura semotu' metuque; v. 53 quid dubitas quin omni' sit haec rationi' potestas; v.

623 numini' divae; v. 830 clarissimu' multo; v. 1079 quin aliquoiu' siet.

Libri tertii v. 198 lapidum collectum Cauru' movere, quod scripsit Bernaysius, vel collectum ipse Euru' movere, quod propius ad codicum scripturam accedens scripsit Munroius, mihi probabilius videtur, quam quod Lachm. ex scriptura codd. coniectum spicarumque, efficit: conlectum spiritus acer; v. 240 vis menti' volutat, coniectura Lachmanni, quae fere nullam habet probabilitatem; alii aliter locum desperatum restituere conati sunt; v. 257 retinemu' valentes; reiecit Lachmannus: retinere valemus, quod ab antiquissimis correctoribus Lucretio recte, ut puto, restitutum est. Lachmannum licentia veterum poetarum hac in re abusum esse vix negari potest; v. 905 privatu' doloribus aegris; v. 1014 de saxu iactu' deorsum; v. 1023 bonus Ancu' reliquit; v. 1036 sopitu' quietest.

IV, 90 extrinsecu' torte; v. 592 nimi' miraclorum coniect. Bentleyi. Munroio codicum scriptura nimis auricularum probatur, quae tamen vix explicari potest; v. 631 Scripturam codd. cibus ut videamus, Bernaysius mutavit: cibu' suppeditatus, quod probabilitate caret. Munroius: cibu' suavis et almus. Lachmannus: cibus unicus aptus; quid legendum sit non liquet; v. 1021 corpori' fundunt; v. 1144 aut quae corpori' sunt; v. 1200 communi' voluptas; v. 1260 opu' sunt quod non est vere substant.

V, 485 a limini' parte coniect. Lachm. codd. ad limina partem Munroius: ad limina in artum; v. 585 cernimu' flammae alterum vocabulum in codd. omissum Munroius vocabulo: ignes, quod clausula versus, qui ante eum est proximus, expulsum esse dicit. Lachmanni coniectura confirmatur auctoritate cod. Victoriani in quo: flammae legitur; cf. Bouterwek. Quaest. Lucrett. p. 44; v. 944 claru' citat Foraiger vel largu' citat Ritschelius; v. 946 umori'

fluenta; v. 1408, 1434 versatili templum; v. 1443 nec multo priu' sunt.

VI, 759 fit mactatu' repente. Munroius scripturam codd. restituit: ut si sint mactata repente; v. 958 corpori' nexu; v. 971 nectari' linctus; v. 972 amariu' frondeat; v. 1136 morti' ferai: Lachmannus. Munroius Macrobium secutus: mortifer aestus.

Jam ut intelligamus, quid inter Lucretium et Ennium in elidenda litera s intersit, etiam Enniana exempla si non omnia at pauca certe eaque gravissima excribamus. Ennius enim, qui in 648 versibus literam s centies elidit, quum Lucretius id in 7393 versibus septuagies septies fecerit, etiam in substantivis III declinationis in us et is exeuntibus hanc elisionem usurpavit:

Annal. 10 genu', v. 18 Venu', 39 corpu', 53 Venu', 64 Jovi', 335 latu' perdudit asta, 352 latu'. Saturar. Reliq. v. 42 (Vahlen) pecu' piscibu' pascit. Epigramm. II, 5 Hic est ille situs, cui nemo civi' neque hostis.

Patet igitur Lucretium multo rarius quam Ennium apocopen sibi concessisse, multoque augustioribus finibus circumscripsisse (cf. Cic. Orator 48, 161), quum literam s in substantivis III declinationis, qui in *us* et *is* exeunt, non elidat. Quod quum certo demonstravisse nobis videamur, et coniectura a Lachmanna ad V, 154 proposita et ceterae omnes, quae huic regulae adversantur, reiiciendae sunt *).

Jam transeamus ad locum qui et a sententia et a scriptura codicum ita comparatus est, ut multis laboret difficultatibus: versum III, 94.

---

*) Bergkius legi vult: tenues ceu corpu' deorum. Jahrbb. d. Phil. Bd. 67. p. 329.

Ac primum illud: itaque v. 106 non habet, quo referatur. Saepius quidem apud Latinos et maxime apud Lucretium protasis quaedam subaudienda est, ad quam coniunctio referatur; hic autem illud *itaque* omnino aptum non est, neque si cum Munroio: to prove what I say, subaudierimus, quidquam proficiemus. Expectamus enim sententiarum nexum fere hunc esse: errare mihi videntur, saepe enim fit, ut corpus externum aegrotet, quum tamen etc.

Qui nexus optime restituetur, si v. 106 saepe itaque cum v. 97 coniunxerimus: dico animum esse hominis partem nilo minus ac manus et pes atque oculi — saepe itaque etc. Fortasse igitur v. 98 sensum animi — v. 106 magno opere: post v. 111 in nullo caput collocandi et in initio et in fine horum versuum lacuna statuenda.

Nonnulla huic loco deesse etiam proximo argumento (v. 112 praeterea et q. s.) ostenditur, quod per se vix intelligi potest. Quid? quod cum eo quod proxime antecedit, coniunctum etiam contra id facere videtur: nam si animus corporis quoddam membrum est, cur non ut manus ac pes simul cum reliquo corpore dormit? Etiam ob alias causas verisimile est, ante v. 98 complures versus perisse. Satis mire enim dicit poëta v. 98 sensum animi et item v. 104 sic animi sensum etc. Qua in re nihil est quod miremur, si meminerimus, Aristoxenum negasse, omnino ullum esse animum etiam vivo in corpore, sed vim sentiendi tantum in corporibus existere (cf. Lactant. Instit. VII, 13 a Munroio ad hunc locum allatum). Quod in superioribus aliquomodo dictum fuisse necesse est, quum Lucret. v. 113—116 contra illam Aristoxeni sententiam pugnans, animum in corpore esse evincere studeat; dicit enim *sensu sublato* aliud (i. e. animum) tamen in nobis esse quod tempore in illo multimodis agitatur et q. s.

Quorum pertinerent verba: molli quum somno dedit a membra effusumque iacet corpus onustum, aeque nescire-

mus, nisi ab eodem Lactantio l. c. didicissemus, vim sentiendi ex compagine viscerum ac vigore membrorum existere.

Lucretius quidem nihil dicit, ex quo effici possit, habitum illum vitalem, quem Graeci harmoniam dicunt, membris somno relaxatis tolli.

III, 923 quum correptus homo ex somno se colligit ipse.

Versus sic in codicibus omnibus scriptus a sententia tamen non ita comparatus est, ut in ea acquiescere possimus. Nexus sententiarum fere hic est: nemo de se vitaque sua sollicitus est, quum mens et corpus sopita quiescunt, et tamen primordia tum non longe a sensiferis motibus aberrant; multo igitur minus mors ad nos pertinet, qua vita et sensus prorsus extinguuntur. Id autem quod dixit v. 921 et 922, versu 923 probare studet, ex quo elucet: *tunc*, v. 921 cum *quum*, v. 923 coniungendum non esse.

Neque enim id dicit poeta, tum quum somno excitamur, non longe ab sensiferis motibus errant primordia, sed de somno in universum dicit, quum dormimus (id enim significat illud: tunc v. 921), primordia non longe ab sensiferis motibus errant.

Necesse est legi:

Quum correptus homo ex somno de *colligat* ipse.

III, 960 pro: *magnis,* quod est in codicibus Lachmannus scripsit: *dignis;* Bernaysius, quem secutus est Munroius: *gnatis;* sed vocem desideramus paullo latius patentem. Quam ut assequamur, scribemus: *agnatis.*

Quod quidem vocabulum non illo sensu forensi, quo ab Ictis maxime usurpatur, interpretabimur, sed ita, ut significet: *qui subnati* sunt, qui *succrescunt,* oppositi decrepito illi seni, velut Varro de re rustic. 3, 16: quum *agna-*

tae sunt multae apes, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam et q. s.

Mutatio satis lenis est; litera *m* ex vocabulo, quod antecedit: *agedum* a librario perperam repetita est, et vocabuli: *agnis* litera a et t exciderunt.

Difficilior est versus, qui sequitur 963, qui legitur in codicibus:

cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
Semper, et ex aliis aliud reparare necessest.

Versus quomodo construi possit, non video; exspectamus passivum: et ex aliis aliud repara*ri* necessest, quod quidem a Munroio, ut nunc video, in versione expressum est: old things give way and are supplanted by new without fail and one thing must *be replenished* out of other things.

Nihil tamen in annotationibus de hac re dixit. Neque aliter Knebelius:

Muss das Veraltete nicht, hinweggedränget vom Neuen
Weichen? immer sich eins aus dem andern wieder ergänzen?

Ac profecto ad verbum reparandi nec vetustas, quippe quod sententiae repugnet, neque natura suppleri potest, quum tam libere in subiectis variari non liceat. Jam negari non potest Lucretium saepius verba activa neutraliter usurpasse, velut II, 126 corpora, quae in solis radiis turbare videntur; vide Creechium, qui ad v. 125 locum e Terentii Phormione petitum attulit: dum ne reducam, turbent quam velint, ubi Donatus turbent: errent, tumultuentur, interpretatur. Similiter eiusdem libri v. 438 atque ex offensu quum turbant corpore in ipso. cf. libri III, v. 500: inde ubi iam morbi reflexit causa; quod tamen aliquomodo excusatur. Cic. Tusc. I, 44, 107 ubi versus Ennianus sic legitur:

Neque sepulcrum, quo recipiat, habeat portum corporis

vide Munroium, qui multos, qui huc pertinent locos attulit, ad l. III v. 502; omisit IV v. 449 binaque per totas aedis geminare supellex. Huc etiam pertinere videtur, quod Lucretius verba: generascere, torrescere, alia, a verbis activis generandi et torrendi derivata, neutraliter usurpat.

Sed ut redeam ad v. 963, fateor locos, quos supra attuli, paulo aliter esse comparatos. Nam si *reparare* neutraliter dictum concedimus, non video, cur non depellere II, 219, ubi Lachmannus ingeniosissime *decellere* scripsit, et opprimere VI, 286 neutraliter accipienda esse dicamus. Non habeo, quo locum ab interpretibus omnibus neglectum expediam. Simili, ut hoc addam, constructionis vitio laborat VI, 15 vexare, qui et ipse nondum sanatus est.

II, 198 Lachmannus, quem secutus est Bernaysius et Munroius, scripsit: nam quo magis ursimus *alte deiecta,* quod explicat: ex alto in aquam deiecta.

Quomodo autem res *urgere* possimus, quas ex alto deiicimus, non dicit. Multo evidentius fieri exemplum a Lucretio ante oculos nobis positum, si sumserimus tigna per longitudinem aquis immersa fuisse, negari non potest.

Quamquam autem ex eis, quae sequuntur v. 200, ubi tigna in profundum depressa aquae impetu reiecta plus media parte emergere dicit, aliquomodo effici potest, Lucretium rem sibi ita apud animum informasse, tamen in superioribus dici necesse erat, quod aperte dictum est si restituimus, quod in codicibus est: *derecta* sive *directa,* quod est in Oblongo. Sed ut videtur, *derecta* genuina Lucretii forma est; cf. VI, 823 derigit; IV, 607 viis derectis; V, 323 deminui et Lachm. ad Lucr. IV, 609 qui imperitorum esse dicit scribere: directis. Sensus igitur hic est: quo altius ursimus tigna directa, eo cupidius exsiliunt, ut saepe plus media parte emergant.

IV, 99. Ex(cita) imaginibus et q. s.

Codd.: ex imaginibus. Munroius lemsissima mutatione: extima imaginibus et. q. s. the scribe neglected to repeat the: ima, ut dicit in annotatione. Illud extima refert ad simulacra v. 97, et extima simulacra interpretatur esse oras imaginum, ut v. 133 et cuiusque modi formarum vertere in oras. Ad suam de hoc loco sententiam illustrandam Munroius attulit Ciceronem, qui de deis Epicureis disputans, de nat. deorum I, 123 homunculi similem deum, lineamentis dumtaxat extremis, non habitu solido et q. s. praeterea Macrob. Sat. VII, 14, 4. Aen. VI, 292. Sed omnibus his locis Munroii coniectura parum firmatur, quum, etsi dicere possimus extrema lineamenta, non sequatur, extima simulacra eadem esse quae orae formarum. De coniectura Lachmanni:

Excita imaginibus missus consistere rerum, Lotzius Quaest. Lucret. Philol. 7 p. 723 monuit, non bene simulacra, quas ipsas poeta esse vellet imagines, ab imaginibus excita consistere, quare minime insolito verborum ordine:

Ex ea imaginibus missis consistere rerum

scribendum censet. At participio excita, non ita multum tribuendum est, quum saepissime Lucretius, qui raro verbum consistere, si significat: bestehen aus, cum solo Ablativo, omissa praepositione, coniungit, participium addat II, 906 mollia mortali consistere corpore creta.

Negari tamen non potest, versum in codicibus: Ex imaginibus missis consistere rerum, scriptum a sententia optime huic loco convenire. Metri autem causa lenissima Lotzii coniectura probanda videtur.

IV, 130 hoc caelo qui dicitur aer.

Isidorus qui hoc versu utitur Orig. XIII, 4, 3 habet: Lucretius, Caelum quod dicitur aer. Id contra consuetudinem Lucretii esse Lachmannus dicit ad l. III, v. 94 ubi scriptura codicum:

Animum dico mentem *quem* saepe vocamus, regulae repugnat. Attulit Lachm. III, 100 habitum quendam vitalem — harmoniam Graii *quam* dicunt et q. s. Ceterum Lachmanni adnotatio perobscura videtur. Haec tamen fere, ut puto, eius sententia est: exceptionem regulae a se constitutae esse, quum ante relativum pronomen demonstrativum positum sit. Cuius rei exempla esse voluit Lachmannus, ut quidem videtur (exempla enim attulit nullo discrimine interposito) VI, 298 igneus ille vertex, *quem* patrio vocitamus nomine fulmen et IV, 369 nam nil esse potest aliut nisi lumine cassus aer, id *quod* nos umbram perhibere suëmus. Alteram regulae suae exceptionem esse dicit, quum ad duo nomina *illud* relativum referri potest. Cuius rei exempla sunt: VI, 702 in summo sunt vertice crateres, ut ipsi nominitant, nos quod fauces perhibemus et ora. III, 139 dominari in corpore toto consilium, *quod* nos animum mentemque vocamus. I, 58. *Quae* nos materiem et genitalia corpora rebus — Appellare suëmus.

Tali modo si recte, ut opinor, explicata sunt ambigua Lachmanni ad h. l. verba, restat tamen quod difficillimum est, quod IV, 132 in *hoc* caelo *qui* dicitur aer, locus a Lachmanno allatus, regulae de exceptione in pronomine duplici prorsus repugnat. Secundum enim eius regulam legendum est: in hoc caelo, *quod* dicitur aer. Isidorus l. c. habet, quod dicitur aer, sed quum alii hoc versu *hic* scripto, utantur, nihil certi ex Isidori loco effici posse videtur, etsi mutatio *qui* in *quod,* praesertim quum d litera sequatur, non sane difficilis est. Forma Enniana *„coelus“*, ut hoc addam, Lucretius non utitur.

Eandem fere de duplici pronomine Zumptius proposuit in Grammat. lat. §. 372 qui attulit Curt. 3, 20: Dareus ad eum locum, *quem* Amanicas pylas vocant, pervenit.

IV, 141. Lapsaque cedant.

Post haec verba deest primum, ut dicit Lachmannus, *Percipe* vel: *Expediam*, tum paucula a quibus illud *enim* quod subicitur pendeat. At illud: *enim*, mihi quidem optime pendere videtur a v. 142: perpetuoque fluant ab rebus, semper enim summum quicquid de rebus abundat quod iaculentur. Ita haec saltem optime cohaerent, sed *percipe* vel eiusmodi aliquid aperte deest.

Quum tamen ne in codice archetypo quidem ut dixit Lachmannus, ullum defectus indicium fuisse existimandum sit, etsi singula versuum duorum ancedentium verba nihil suspicionis habent, non alienum videtur, si *percipe* vel eiusdem notionis aliquid inseramus.

Quod sic instituimus:

Nunc ea quam facili et celeri ratione gerantur
Perpetuoque fluant ab rebus lapsa, *tibi edam*.

Lucretii enim quam maxime proprium est, ut verbis finitis participia apponat, quae eandem fere atque verba finita sententiam exprimunt. Quod dicendi genus Lachmannus quum non perspiceret I, 121 mutare voluit illud *edens* quippe quo nullum pondus sententiae adderetur.

Alia exempla quo hic usus poetae ab interpretibus neglectus comprobatur haec sunt: I, 343 privata canerent; II, 67 stipata cohaeret; 549 congressa coibunt; 563 compulsa coire; III, 439 ablata recessit; IV, 914 eiecta recessit; 915 contrusa concessit.

II, 502. Aurea pavonum rident imbuta lepore
Saecla nova rerum superata colore iacerent,

scriptura codicum est. Vincula orationis quum prorsus hic nulla sint, Lambinus et qui eum secuti sunt, Creechius etc. in fine versus posuerunt: *et* tacta colore, et Aurea pavonum ridenti etc.

Quod tamen *et* in versuum hexametrorum fine solis inter poetas satiricis ponere licet (vide Lachm. ad Lucret.

p. 102). Idem vitium commisit Bernaysius IV, 416 caelum ut videare videre *et* Corpora miraclo et q. s.

Lachmannus:

Aurea pavonum riden*ti* *imitata* lepore
Saecla et q. s.

legendum proponit. Sed non apte vestes purpureae pavonum saecla imitantur. Quod enim de purpurae quodam genere, quale Plin. Nat. Hist. 9, 38, 62 describit, aliquomodo dici potest, id nequaquam valet de purpura in universum.

Bernaysius, qui, ut equidem puto (nihil enim hac de re ipse indicavit), in partes vocavit libri secundi v. 806: caudaque pavonis larga cum luce repletast, ita legi vult:

Caudaque pavonum riden*ti* imbuta lepore
Caeca nov*o* rerum superata colore iacerent etc.

Munroius denique more suo, quum aliter rem expedire non potest lacunam statuit inter v. 501 tacta colore, et v. 502 aurea pavonum. Itaque nos rem sic instituimus:

Aut quo pavonum rident imbuta lepore
Saecla et q. s.

Dicit igitur poeta, vestes barbaricas et purpuras aut leporem eum, quo imbuta pavonum saecla rident, novo quodam colore superata iacere. Ita *rident,* quod in utroque codice est, servamus neque quidquam mutamus nisi illud: *aurea.* Accedit quod ridens adiectivi instar positum pro *splendidus* nusquam apud Lucretium legimus; saepius contra ridere, ut vim habeat splendendi. cf. IV, 80 locum huic simillimum perfusa lepore omnia corrident; IV, 1117 pulchra in pedibus Sicyonia rident; III, 22 large diffuso lumine rident.

De attractione: quo lepore imbuta rident, pro: lepor quo imbuta rident, cf. Lucret. II, 734: locum huic simillimum: Nive alium quemvis, quo sunt imbuta colore, pro: nive alium quemvis colorem, quo imbuta sunt. Cuius at-

tractionis apud Lucretium usitatissimae exempla collegit Munroius ad Lucret. I, 15.

VI, 15. Atque animi ingratis vitam vexare querellis
Pausa atque infestis coget saevire querellis.

Lachmannus quum querellae bis positae locum tueri non possint, in partes vocato versu V, 44: At nisi purgatumst pectus, quae proelia nobis Atque pericula tumst ingratis insinuandum, scribit in altero versu *periclis* pro *querellis*, praeterea pro: pausa atque, *Passimque* et Lambinum secutus cogei (cogi) pro: coget.

Infestas querellas se intelligere negat (cf. V, 1414 dulces querellae). At infestae querellae eae, ut videtur, dici possunt, quae hominum vitam vel infestam habent vel infaustam reddunt. Simili licentia Bernaysius versum immutavit, qui dedit:

Atque animi ingratis vitam vexare *timore*
Faustam atque infestis cogi saevire querellis.

Sed quum intelligerem nullam emendationem quidquam probabilitatis habere, qua praeter finem versus, quem corruptum esse duobus his versibus sub uno conspectu positis cuivis apparebit, initium quoque versus qui sequitur, mutetur, legendum proposui:

Atque animi ingratis vitam vexare *sine ulla*
Pausa atque infestis cogi saevire querellis

(Postea cognovi Munroium in eandem incidisse coniecturam). Sed ne haec quidem emendatio vera esse potest. Mirum enim videtur neminem adhuc praesertim qui: *coget* in: *cogi* rectissime mutaret, vidisse, constructionem, vexar*e* si legimus, stare non posse. Lachmannus quidem, ut nunc video, aliquid suspicatus videtur, qui decursum sententiae indicavit ad Lucret. p. 349 his verbis: Praecesserunt haec: quum vidit homines tamen anxios esse invitos vexari. Itaque clausula versus quum coniecturis pateat versus sic legere possumus:

Atque animi ingratis vitam vexari *alioquin*
Faustam atque infestis cogi saevire querellis.

Sed quum *alioquin* sit vocabulum non satis antiquum (cf. Lachm. ad Lucret. p. 168 qui versum in quo legimus illud vocabulum, III, 415 incolumis quamvis alioquin splendidus orbis, uncis inclucit) rem aliter instituimus:

Atque animi ingratis vitam vexari expertem
Pausa atque infestis cogi saevire querellis.

Itaque uno tantum vocabulo corruptela insigni mutato, locus recte, ut opinor se habet. Expers cum Ablativo coniunctum saepius apud antiquiores praesertim scriptores invenimus. cf. Forcellini s. v. expers, qui Plautum, Catullum, Sallustium attulit. Apud Lucretium his legi locis: II, 1092 natura Ipsa sua per se sponte omnia *dis* agere *expers;* VI, 1179 lumina versarent oculorum expertia somno.

Restat tamen, fateor, difficultas quaedam; versus enim, qui coniectura nostra evadit, ex Lachmanni sententia ferri non potest, qui p. 150 versum 198 libri III manifesto corruptum mutavit. Versus enim in tres spondeos exeuntes omnino non leguntur apud Lucretium *): quare si coniectura, quam proposui infirmatur, corruptelam ab interpretibus omnibus neglectam indicasse satis habeo.

Fortasse casui tribuendum est, quod Lucretius Graeca Ennii Luciliique licentia quam postea et Catullus et Horatius artificiose revocarunt, abstinuit; sicut multa apud Lucretium inveniuntur singularia, veluti in omnibus Lucretii libris unus legitur versus hypermeter:

V, 846. Multa videmus enim rebus concurrere debere
Ut propagando et q. s.

Neque silentio praetermittendum videtur, quod pauca versus spondiaci exempla leguntur. In primo Lucretii libro hi sunt: v. 60, 64, 616, 991, 1077; II, 295, 302, 309, 397,

---

*) cf. Philol. 23 p. 467.

615, 1053; III, 249, 253, 417, 961; IV, 123, 185, 196, 592, 972, 975; V, 190, 425, 970, 1263. Nulla autem in libro sexto; quo pertinere videtur quod Lucretius inde a quarto libro spondaicos non admisit nisi in tetrasyllabis IV, 123 centaurea; v. 185 intervallum; v. 196 intervallum; v. 592 miraclorum; v. 972 usurpare; v. 975 obversantur. V, 190 pertemptare; v. 425 pertemptare; v. 970 involventes; v. 1263 procudendo.

Ac quaerentes, quomodo poetae, qui antecedunt Lucretium, versus spondaicos tractaverint, Lucilium rarius, Ennium, qui magno cum pondere versus fecerit, saepissime versus spondaicos admisisse intelligimus. Lucilius in eis, quae de poematis supersunt, spondaicos his locis habet II, 11; III, 11; XIV, 9; XXX, 50. Ennius his locis (ed. Vahlen) v. 2, 125, 126, 174, 207, 219, 256, 305, (488), 541, 603, 604. Sat. v. 16, 22. Quorum in tres spondeos exeuntes hi sunt: 125 Volturnalem Palatualem Furrinalem; 126 Floralemque Falacrem et Pomonalem fecit; 174 Cives Romani tunc facti sunt Campani; 219 Ut primum tenebris abiectis indalbabat; 305 Ore Cetegus Marcus Tuditano conlega; 541 tanto sublatae sunt; 603 Introducuntur legati Minturnenses; 604 Olli crateris ex auratis hauserunt.

Lucretius l. VI, v. 131.

Lambinus, quem secuti sunt alii:

Saepe ita dat pariter sonitum displosa repente

quod ferri nequit; necessario enim requirimus vocabulum, quod describit, qualis tandem iste sonitus fuerit. Lachmannus: saepe det haut parvum sonitum, quod quum longius absit a codicum scriptura: Saepe ita dat parvum sonitum displosa repente, equidem legendum propono:

Saepe ita dat clarum sonitum displosa repente.

Clarus h. e. significat e longinquo audiendus (cf. Lachm. ad Lucret. V, 946 p. 321 init.), non solum de sono acuto, sed saepius de tonitru. cf. Naevius Danae ap. Non. p. 110, 16.

Suo sonitu claro fulgurivit Juppiter. Lucret. I, 1003 quod neque clara suo percurrere fulmina cursu. Lucret. VI, 82 sunt fulmina clara canenda. Versui 944 libri quinti vocabulum, quod est *clarus*, restituendum videtur cum Forbigero: Claru' citat late sitientia saecla ferarum.

Ita cum adiectivis et adverbiis coniunctum rarius legitur. Cic. ad Att. 7, 2 *ita* belle nobis flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites. Cic. pr. Dejot 21 dei te perduint fugitive, *ita* non modq improbus et fatuus, sed etiam amens es. Sed quum ita (= tam) saepius usurpetur cum particula negativa coniunctum, Bernaysius legit:

Noenu ita det parvum sonitum displosa repente.

Sed noenu et longius a scriptura codicum recedit et dubitari etiam de forma potest an hoc loco adhibenda non sit. Lucretius enim has formas archaicas, ut ita dicam, tum praecipue videtur usurpasse quum valent ad versum efficiendum. III, 195 noenu potest igitur parvissima corpora pro quam et q. s. IV, 710 noenu queunt rabidi contra constare leones. Itaque vocabulo *indu* utitur ut: „impedire“ vessu includat I, 240 indupedita; II, 102 indupedita, passim. Similiter induperatorem dicit pro imperatore V, 1225 Induperatorem classis super aequora verrit.

Hexametrum ab Ennio poesi Latinae additum linguae non admodum accommodatum fuisse ex ipsis casuum terminationibus demonstrari potest, cf. Köne Ueber den Sprachgebrauch der röm. Epiker, Münster 1840, qui multis exemplis quantum poetae versui tribuerint docuit. Creticum inprimis versui heroico repugnantem ut vitarent, omnia fere sibi concessere poetae. Quo factum est ut nova vocabula fingerent, vetera obliterarent. Eandem ob causam Lucretius vocabula finxit eiusmodi: differitas IV, 634 maximitas II, 498; pestilitas VI, 1096, 1123, 1130. Haec apud unum Lucretium leguntur; quae vero feliciter ficta erant, posteriores accipere non dubitarunt. Finxisse autem

haec vocabula Lucretium fit verisimile ex Nonio, qui p. 59,21, 136,10, 158,1 profert haec vocabula solo Lucretii nomine annotato.

Huc fortasse pertinet mirabilis illa adiectivi forma l. VI v. 762 Puteae regiones i. e. Puteolanae. Codicum scriptura haec est: Janua ne Poteis orci regionibus esse Credatur et q. s. Lachmannus illud *poteis* codicis mutavit in *Puteis*. Urbs Puteoli non ita longe abest a Cumis et lacu Averno. Forma adiectivi autem, ut ipse dicit Lachmannus, neque Lucilius usus est quum scriberet in satirarum tertio: Inde Dicaearchium populos Delumque minorem, neque eam post Lucretium alius poeta periclitatus est. Accedit quod ne Varro quidem, qui de ling. lat. V, 25 haec habet: A puteis oppidum Puteoli, quod incircum eum locum aquae frigidae multae; hanc mirabilem adiectivi formam ad originationem suam firmandam attulit.

Neque Festus p. 218 Müller. huius Adiectivi formae mentionem fecit; quamquam fatendum est, locum, ubi de Puteolis agitur, mancum esse. Silius quoque Italicus maluit *Puteolanos* metri causa *Pherecyadas* dicere XII, 159 muros Pherecyadum. Quae quum ita sint, mihi tamen emendatio Lachmanniana probatur; nam et hoc loco sicut aliis multis poetam metro aliquid tribuisse videmus. Quid enim faceret poeta quum Puteolanum nullo modo versu includere posset?

VI, 804 at quum membra domnus percepit fervida servis
Tum fit odor vini etc.

Lachmannus legendum suadet *odor viri* et *per*cepit fervid*ior vis*. Dicit enim poetam hic non de alia re dicere, quam de ipso carbonum odore, in quo describendo versus duo proximi versantur. At *fervidus* proprie dicitur de musti vinique fervore; cf. Plin. 14, 9, 11. Coniunctio *at*, quae Lachmanno indicio est, poetam h. l. de carbonum odore dicere, mihi ita explicari posse videtur: carbonum

gravis vis capiti dolorem affert, at vini fervidi vis si membra domus percepit, odor eius fit plagae mactabilis instar. Itaque fortasse legendum at q. m. domus percepit *fervidu' sucus* (vel *fervida seria*), tum fit odor vini etc. quod sic explico: quum cellam vinariam fervidi vini seria percepit, tum fit odor eius, et q. s. De „*seria*" pro ipso vino posita, cf. mulctra Colum. 7, 8; praeterea „*seria*" satis explicatur versu qui sequitur.

Nihil, quod quidem certum sit, ex mira codicum scriptura effici posse concedo. In corruptela autem ipsa medii aevi Latinitatis vestigia fortasse agnoscere possumus. Librarius, qui legeret *domnus*, neque sententiam perspectam haberet, *servos* inferre non dubitavit. Opponitur enim fere dominus servis ut Gr. *δεσπότης*. cf. Plin. Paneg. 7, 6. Plaut. Capt. Prol. 18. Forma domnus per totam aetatem mediam erat usitatissima. cf. Walthar. 249 ad quaecunque vocas me, domne, sequar studiose. 1098 Quo me domne vocas? 1215 fuge, domne, propinquant. Monachis autem, quin domni nomen tritum fuerit, dubitari non potest, qui, quum domini nomen per humilitatem quandam Christianam recusarent, domni potissimum vocati sunt. cf. Du Cangium s. v.

AUG 1 [illegible]

Bowdoin
12/3/38


Ll 20.327.5
Quaestiones Lucretianae.
Widener Library 005770192
3 2044 085 210 193